

**Dissertatio medica, inauguralis, de febre puerarum ... / eruditorum  
examini subjicit Thomas Evory.**

**Contributors**

Evory, Thomas.  
Lister, Dr  
University of Edinburgh.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1782.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kgsj8g4w>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

D I S S E R T A T I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

D E

Febre Puerperarum.

---

ALLEGORIA

DIES AESTIVUS MEDICAMENTUM

IN ANTEQUA LIA

ET ALBOVIRGA

HEPATICAE

AMOMUM

D I S S E R T A T I O M E D I C A,  
I N A U G U R A L I S,  
D E

9  
F e b r e P u e r p e r a r u m .

Q U A M ,  
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,  
E x A u t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P rae fecti ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,  
E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S  
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

T H O M A S E V O R Y ,  
H I B E R N U S ,

S O C I E T A T I S R E G I Æ M E D I C Æ E D I N E N S I S  
S O C I U S E X T R A O R D .

A d d i e m 12 . S e p t e m b r i s , h o r a l o c o q u e f o l i t i s .

E D I N B U R G I :  
A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,  
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M , D C C , LXXXII .

СИДОР СИДОРОВИЧ

СТАРИЙ МАРСИЛІЙ

ФРАНЦІСКО ГІЛЬДОНІ

СІДОР СІДОРОВІЧ ДУБІЛІСЬКА

VIRO IMPRIMIS ORNATO

# FRANCISCO HUTCHESON, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM DUBLINIENSIS SOCIO,

E T

NUPER CHEMIÆ,

CUJUS EST SCIENTISSIMUS,

IN ACADEMIA DUBLINIENSI, PROFESSORI;

NON MINUS HUMANITATE,

QUAM MEDICINÆ PERITIA,

CONSPICUO ;

OB SINGULAREM AMICITIAM,

QUA SE DIGNATUS EST ;

NEC

ATRII IMPRIMIS ORNATA

FRANCISCO HUTCHESON M.D.  
GEO. N. COOK

COLLEGE OF MEDICINE DUBLINENSIS 1800.

THE

HISTORIC CHRONICLE

CULING THE SCIENTIFICUM

EDITION OF THE COLLEGE OF MEDICINE DUBLINENSIS

STATUTA COMMUNIONIS

COMITATU

CHARACTERES MEDICO-LEGALIA

CONCILIO

CONFIRMATION OF THE COLLEGE

CHARACTERES MEDICO-LEGALIA

NEC NON,

PRÆCEPTORI OPTIMO

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ THEORETICÆ PROFESSORI,

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINENSIS SOCIO,

&c. &c.

QUI MULTIPLICI DOCTRINA, MEDICINÆQUE PERITIA,

FLORET,

ET VARIIS HONESTI ANIMI DOTIBUS,

AMOREM ET ÆSTIMATIONEM OMNIUM

CONCILIAT;

PROPTER BENEFICIA INNUMERA,

IN SE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

SACRAM ESSE VOLUIT

T H O M A S E V O R Y.

For

Doctor Lister

with most sincere wishes

from his very obliged Friend

Thomas Ivory

# DISSESTITO MEDICA,

INAUGURALIS,

D E

## FEBRE PUPERARUM.

PRÆTER mala generi humano communia, quae-dam sunt mulieribus propria. Horum omnium, nulla aetas omnino immunis, ab tenera virgine, ad vene-randam matronam. Pauperibus, quibus victus tenuis, fa-tigatio frequens, et tecta parum apta, dira morborum in-cumbit cohors; nec leviores nec pauciores sunt, quibus divites, luxuria ac desidia nimis deditae, sunt saepissime obnoxiae. Cur morbos varios, virginibus, nuptive, ste-ribus, vel foecundis, infestos, memorem? Hi adeo sunt multi, ut dissertatio hujusmodi, omnes numerare, et de-pingere, vix sufficeret. His igitur praetermissis, de *febre puerarum*, pauca dicere, in animo est; quae, seu frequen-tiam, sive lethalem eventum consideres, summa attentione videbitur perdigna.

A

Hicce

Hicce morbus, et si *Hippocrati* notus, et ab eo et aliis descriptus, attentionem medicorum nuper praecipue occupavit. Nam ex quo nosocomia instituta, ubi mulieres multae, infantes enixaerunt, in eodem et saepe angustiore loco cubant, strages maxime horrendas interdum edidit. Hinc, innumerae ejus historiae traditae; hinc, multae disputationes de natura ejus, deque remediis, nuper exortae, adhuc extant. Ubi igitur inter homines, annis, experientia, scientia, maxime adjutos, minime convenit; sed quod hic affirmat, ille negat, quodque hic laudat, ille vituperat; si *juvenis imperitus*, investigationibus hujusmodi *parum asfuetus*, in errorem incidat, minime erit mirandum. Etiam si errorem effugere forsan non potuero, arrogantiam, quae obscura pro claris, incerta pro certis, statuit, et opprobrium pertinaciter in opinionibus, initio, defectu curae vel ingenii forte admissis, perstandi, evitare conabor. Si voluntati obtemperarem, lectorem longa excusatione placarem; res tamen hujusmodi, toties repetitae, adeo obfoluerunt, ut risum vel fastidium jure ubique moveant. Ad rem igitur redibo, eamque pro virili tractaturus, incipiam, uti decet, ab

## HISTORIA MORBI.

Post partum, seu facilem, sive non, nunc serius nunc citius, plerumque secundo vel tertio die, rigor subitus puerperam aggreditur. Hic interdum adeo levis inventus, ut vix notetur; saepius autem febris frigidum accessum omnino refert. Huic succedunt calor, capitis et praecipue frontis dolor, nausea, vomitusque materiae subviridis. Cutis nunc arida est, nunc sudor prorumpit, vel totum per corpus, vel tantum circa cervicem, pectus, aut vultum. Lingua initio madida et alba, postea arefacta, scabra, fufca vel nigra evadit, et tunc fitis maxime urget. Dentes nigritia foedos saepe est videre.

Pulsus inter rigorem parvus, debilis, et parum distinctus, calore crescente, fit plenior; sed per totum morbi cursum, celer, et quodammodo contractus, plerumque repertus.

Dolor abdominis semper urget; sed, utrum ante an post rigorem febrilem accedat, parum constat. Auctores utroque trahunt, quibus, si fides adhibetur, tempus quo dolor incipiat varium credetur. Nec eundem locum semper invadit. Est ubi regionem pubis praecipue lacefit, inde gradatim alio obrepens; est ubi circa umbilicum, et

inter eum et stomachum, torquet. Ubi cunque tamen primo se se ostendit, post paulo, totum abdomen plerumque corripit, ita ut hoc levissimi tactus, immo oneris stragulorum, impatiens fiat.

Abdomen interdum minime tumet, interdum, post tempus parum certum, adeo fit tumidum, ut magnitudinem ante partum adaequet \*. Alvus, initio fere semper adstricta, per totum morbi decursum aliquando ita manet; saepius tamen admodum fluit. Si diarrhoea cito accedit, morbum optime solvit; sed tardius accedens, plerumque spumosa, putrida, ac foetidissima, tormina secum affert acerbissima, tenesimum, ventris murmura, aliaque pessima.

Urina, primo parca et rubra, inter morbum multas et varias mutationes subit, et interdum r̄gra reddi dicuntur.

Lochia varie afficiuntur. Ea, et si rigor haud raro reprimit, saepe nec quantitate nec qualitate mutata, inter morbum fluunt. Nunc ex toto evanescunt; nunc, ubi perstant, nigra et mire foetida fiunt.

Nonnunquam mammas flaccidas lac omnino deserit, alias, hoc adeo non fit, ut mater febricitans mammas lacte distentas infanti praebere possit.

Ubi dolor regionem pubis praecipue occupet, coxas et femora, ubi regionem epigastrii, latus ac pectus, lancinat.

Morbo-

\* Denman on the puer. fever, p. 2.

Morbo progrediente, signa febrilia omnia acerbiora fiunt. Pulsus, ab initio usque celeres, eo perveniunt, ut vix numerari vel sentiri queant. Somnus parcus et valde inquietus. Oculi languidi, in statu somnum inter et vigiliam medio, videntur. Dolor capitis, praecipue in fronte, augetur, viresque adeo infractae, ut aegra plerumque resupina jaceat. Nausea magis magisque molesta facta, nil nisi potus frigidus ac acidulus desideratur, vel toleratur. Aëgra anxia atque oppressa, suspiria, ex imo pectore ducta, emitit. Vultus, si excipias circulum rubentem in malis saepe diu visum \*, fit cadaverosus ; faeces et urina ex inscia elabuntur ; subsultus tendinum, singultus, ac petechiae interdum adsunt † ; et delirium (quod non valde frequens) accedens, mortem in propinquuo esse, testatur. Ante mortem, dolor abdominis saepe subito cessat, et, ubi fatum imminet, aegram inani spe salutis lactat.

Tempus exitus exitialis diversis in exemplis diversum. Rigor ipse interdum aegram opprescit ‡, quaeque hunc superavit, ei, alter ab impetu dies, exitio fuit ; alias tamen, post dies decem, quindecim, vel, ut quidam volunt,  
octodecim,

\* Home's Clinical Experiments, p. 70. et Leake, p. 53.

† Vide White passim et Denham, p. 11.

‡ Manning, p. 393.

octodecim \*, elapsos, aegra tandem animam efflavit. Hoc autem saepissime post quintum, et ante decimum quintum diem, accidit.

Faustus exitus unum diem non observat; sed die tertio, quarto, vel quinto, frequentissimus fit. Post diem octavum decimum, periculum mortis minus; sed lentissimis gradibus ad sanitatem redditur. Abscessus et bubones, interdum relicti, vel pus vel faniem effundunt; viresque aegrae adeo imminutae, ut faeces et urina, insciae elabantur, multaque, reliquum vitae, debiles et infirmae degant.

Praeter signa jam memorata, alia addere facile foret; morbus enim formam epidemicorum simul grassantium, saepe induit, unde varietas symptomatum insignis.

In morbo tam periculofo, tamque vario, nil mirum medicos sedem effectusque mali explorare aentes, cada- vera multa attente inspexisse. Ex observationibus istiusmodi plurimis, paucas nunc proferam.

#### DE SECTIONIBUS CADAVERUM.

Cum dolor abdominalis inter signa praecipua sit jure memoratus, viscera abdominalia, summa cum cura, semper fuere examinata. Quod ad quaedam, inter auctores satis, quod ad alia, minime, convenit.

Abdomen

\* Hulme on the puer. fever, p. 45.

Abdomen tumidum patefactum plurimum aëris foetidi saepe emitit; alias tamen, praesertim ubi aegra alvo dura laborabat, aër in intestinis inclusus repertus est. Liquor subflavus, foetidissimus, puri admixtus, inter intestina fluidans, abdomen implet. Particulas, pinguedini vel parti coagulatae lactis similes, variis in partibus superficie i- testinorum, quidam deprehenderunt.

Omentum in plerisque, vel in inflammationem, vel suppurationem, vel sphacelum abierat; quod, ut *Hulme* saepe notavit, pinguedine sua omnino absumpta, intestinis, vel stomacho, pluribus in locis adhaerens, haud raro convolutum, et in partem abdominis superiorem complicatum, ascenderat. Intestina vel inflammata, vel sphacelo affecta, nigricabant, variisque in partibus concretiones exhibebant, et nigrum liquamen, tetterime olens, continebant. Vasa mesenterica turgebant sanguine. Levis inflammatio ventriculum aliquando tenebat, et ibi nunc aër, nunc foeda coluvies, inveniebatur.

*Home* testatur, omentum non adeo affectum esse in aegris quae in nosocomio Edinensi obierunt. Id aequa ac intestina leviter inflamatum fuit; sed nec suppuratio, nec gangraena, repertae.

Uterum plerumque sanum inventum, plurimi mem- rant. *Home* noster cel. os tincae lividum, ovariumque si- nistrum

nistrum durum, deprehendit. Alii nigras maculas in eo viderunt, alii totum inflammatum. *Pouteau* ita loquitur de cadaveribus aegrarum quibus haec febris exitio fuit Parisiis: “ Hisce uteris apertis, res attentione dignissima in utrisque semet ostendit; tunica interior nigra erat ac molliis, substantia uteri rubra, livida, et vera gangraena affecta.”

In iis a *Johnstone* memoratis, uterus ejusque appendices, praesertim fundus atque ovaria, praecipua sedes inflammationis fuisse dicuntur.

Quidam, inter quos est *J. Hunter* ipse, affirmant, peritoneum inflammatum esse omnium frequentissime observatum; sed quin aliae partes simul inflamentur, iidem non abnegant.

Affectus pulmonis atque pleurae, serum multum in pericardio, aliaque id genus, omittam, utpote quae, et si casu interdum inventa, ad morbum nostrum parum pertineant.

#### C A U S Æ   R E M O T Æ.

Graviditatem corpus muliebre multum mutare, nemo ignorat. Cibi fastidium, odorum quorundam impatientia, nausea, vomitus, desideria insolita, valetudinem turbatam probant. Irritabilitas quoque tunc admodum augetur,

res

res enim, antea nil nocentes, mentem tunc ad syncopen usque deprimunt. Infantem enixa mater fit malis adhuc opportunior. Sic phthisicae plerumque, dum uterus gerunt, morbum suum mitiorem habent, saltem eum melius tollent. Post partum vero, idem tantum tamque subito ingravescit, ipsaeque simul adeo infirmantur, ut multae intra paucos dies, pleraeque ante mensem elapsum, absumentur; et febris, de qua agitur, et si causae omnes excitantes adsunt, gravidas, donec pepererunt, nunquam invadit. *Graviditas et puerperium*, igitur, inter causas praedisponentes primum locum sibi vindicant.

Quicquid ante partum plethoram efficit vel auget, huic febri corpus opportunius reddit. Ingluvies igitur omnigena, praecipue nimium cibi animalis, utpote qui et plethoram et diathesin phlogisticae adauget, et vita fegnis ac defidiosa, hic sunt enumeranda. Nonne sanguinis detrac-tio, plethoram augendo, gravidis nocet?

Proclivitas quoque oritur ab omnibus quae corpus debilitant. Hujusmodi sunt, cibus parcus parumve nutritiens; immodicæ evacuationes, praesertim ~~sanguineae~~; exercitatio nimia; nec non cubiculum calefactum, quod corpus laxum, debile, et valde irritabile reddit; sollicitudo et moestitia. Gravidæ innuptæ, quae, praeter pericula puerperii, dedecus, anxiae, moestaeque, spectant,

ut *Leake* aliique observant, in hanc febrem saepissime incidunt.

Humores ad putredinem proclives opportunitatem vel efficere, vel augere, veri videtur simillimum. Huic proclivitati plurimum ille elegans et accuratus auctor *White* tribuere vult. In eandem sententiam ivit *Willis*, qui inquit, “Puerperae ex malo affecti corporis vitio, tanquam aurae pestilentialis contagio tactae, febri putridae, seu potius malignae, quam nimium obnoxiae reperiuntur \*.” Huc quoque pertinet ista observatio, toties jam repetita, quod cibo animali valde utentes sunt huic morbo maxime obnoxiae.

In aegris opportunis, quae morbum excitare creduntur, ea plurima sunt. Lectum citius aequo relictum, pro causa frequentissima *Sydenhamus* ponit; qui ideo aegram dies decem continuos cubare, post partum, semper jussit. Haec regula tamen, nec necessaria, nec utilis invenitur, uti postea ostendetur.

Diaeta prava, seu quantitatem, sive qualitatem species, praecipue animalis, a multis incusatur. Haec, ut antea observatum, vel plethoram, vel phlogisticam, vel putridam diathesin auget. Nec alia stimulantia hic praetermitenda, quae, uti vinum, alcohol, aromatica calida, et alia

id

\* *Willisi opera*, p. 128.

id genus, immodice sumpta, morbum saepissime excitant ; nec mirum ; circuitum enim sanguinis accelerant, calorem majorem reddunt, unde inflammationis ac febris periculum ingens.

Frigus subito adhibitum, maxime si sudor jam antea manaret, valde nocivum est. Quot mala a perspiratione, frigore, subito impedita, oriantur, quotque affectus inflammatorii frigus pro causa agnoscant, nemo non novit. *Hippocrates* ipse notavit, hanc febrem grassari vere frigido, ventis borealibus aspero, quod innumerae observationes a recentioribus factae abunde firmant.

Aliquot mutationes aëris esse creduntur, nobis, magna ex parte, incognitae, quae hanc una cum aliis epidemicis excitare videntur. *Peu* affirmat, frigus vel calorem cum humore, quam eadem sicca, esse multo pejora.

Temeritas, imperitia, et crudelitas obstetricum, multimodis nocent. Manu inepte et parum caute adhibita, uterum ipsum interdum laedunt ; placenta nimia vi extracta, vasa plura rumpuntur, pars interior uteri nimis laceratur ; unde dolor, sanguinis nimia profusio, et summa debilitas, quae febrem saepissime excitant. Fasciae quoque post partum arctius ligatae multum nocent.

Uti metus et moestitia proclivitatem efficiunt, ita terror, luctus, affectusque mentis repentini, morbum saepe inferunt.

ferunt. Quin et alia est hujus febris origo, effluvia nempe putrida. Puerperas esse febri inde obnoxias, vix dubium. *Peu*, res puerperis nocivas recensens, in hunc modum loquitur, “ et imprimis, res putridas a corruptione provenientes ;” et paulo post nos certiores facit, “ morbum lethiferum plurimas puerperas Parisiis, anno 1664, invasisse, quem ille, aequa ac medicus insignis Dom. *Vesou*, cui mandatum fuerat rem examinare, corrupto aëri tribuit. Puerperae enim cubabant mox super vulneratos, pro numero ac conditione quorum, morbus erat frequentior aut rarius. Rem ita explicat. Vapores putridi, ex vulneribus et ulceribus exorti, aërem impurum et quam maxime malignum reddidere, quem, semper ascendentem, puerperae nunquam non respiravere. Hae, cubiculo mutato, et infra vulneratos cubantes, morbum vitavere \*.”

Praeterea, dum spirat homo, acerrimum sibi aliisque venenum assidue exhalat, quod, si aëris externus non libere admittatur, sanitati fit exitiale. Hinc, quo plures puerperae in uno loco conclusae, eo, huic febri magis obnoxiae. *White* fatis probavit, morbum et frequentissimum, et maxime exitiosum, semper esse in iis nosocomiis ubi plurimae gravidae, minimusque aëri puro aditus, essent. Haec materies, reliquis contagionibus similis, forsan acerbior evadit,

\* *Peu* prat. des accouchemens, liv. ii. § 3.

evadit, adhaerendo indusiis, stragulis, murorumve superficie. Febris in nosocomio exorta fere omnes puerperas ibidem invadit.

Hicce breviter exactis, proximum est, ut morbi natura plenius et acuratius consideretur.

### NATURA MORBI.

Rem sum nunc tractaturus imprimis incertam, obscuram, difficilem. Alii auctores in alias iverunt sententias, nemoque non contendit, propriam esse solam veram. Multa argumenta firmant singulas, quin et exempla aegrarum, sectionesque cadaverum, stant utrinque instructa. Cui-nam assentirer postquam diu dubitaram, opinionem veri si-millimam visam elegi; ubi enim certa assequi non liceat, probabilia sunt sectanda. Priusquam longius progrediar, paucula, uti mos est, de opinionibus antiquioribus hic proferam.

Ab Hippocrate ad Sydenhamum usque, plurimi lochia suppressa, quasi causam febris puerarum, accusarunt. Quum plerique putarent, lochia acria esse, in hanc sen-tentiam facilius deflexere. Nihilo tamen acriora sunt san-guine reliquo. Quamvis eorum defectus, vel nimia co-pia, nocentia jure habeantur, febrem hanc non ex iis mu-tatis vel suppressis pendere, multa probant. Si ante fe-

brem

brem inceptam aliquando imminuantur, aliquando ubertim per totum morbi profluunt. Imminuta, saepe nulla febris sequitur, nec denuo fluentia, ubi fuerant impedita, febrem solvunt. Hic, ut saepissime alias, auctores, quae pro morborum effectibus erant jure habenda, ea pro causis habuerunt.

Lactis metaftafin quidam, nec parvi nominis \*, pro febris hujus causa posuerunt. Lac interdum absorberi, mammae inanes et flaccidae testari videntur; et, hoc stagnando, acidum vel acre fieri posse, unde absorptum pessimos ederet effectus, affirmatur. Res lacti coagulato similes in abdomen interdum inventae, ad opinionem firmandam allatae sunt.

Quin lac diu stagnans acidum vel acre evadat non negandum; et *Dr Hunter* credit, se glandulas axillares, tali lacte absorpto, tumidas ac duras interdum invenisse †; haec tamen concessa, quo minus opinio jam memorata rejiciatur, non efficient.

Pessima signa febris tam cito semet ostendunt, ut spatium non sufficiat, aut mutationi aut absorptioni lactis, quod quoque, ut antea dictum, saepe immutatum manet. Quae coagulum referentia in abdomen interdum inveniuntur,

\* Van Swieten et alii.

† Medical Commentaries, p. 59.

puntur, ea a lacte oriri nequeunt. Sed plura, contra hanc opinionem, jamjam, ni fallor, obsoletam, objicere, supervacaneum judico.

Quibus uterus inflammatus, causa morbi proxima visa, multi fuerunt et adhuc sunt. Hanc rem *Johnstone* † ita explicat ; “ Uterus semper magna praeditus est irritabilitate, quae tantum graviditate augetur, ut prope partum, et magis adhuc post partum, a laboribus et doloribus puerperii, fere inflammatum, vel maxime inflammationi aptum esse crediderim. Nam post partum vasa uteri subito contrahuntur ; et quoniam sanguinis copia parum diminuitur, impetus ejus in illis vasis necessario augebitur, et vasa ipsa plurimum distendentur. Si igitur irritatione ab ulla, aut causa morbi excitante, contractio vasorum et impetus sanguinis intendantur, et, lochiis suppressis, quibus quicquid nimis sanguinis in corpore superfluit emitti debuit, primum est inflammationem excitari. Quoniam vero membrana uterum investiens, dum mulier uterum gerit, maxime distenta, debilior evasit, et quoniam, propter situm ejus, sanguis ibi magis accumulatur, a vasis uteri constrictis, inflammatio ibi maxime excitabitur. Sed, quum haec membrana continuatio peritonaei est, inflammatione cito serpit, ad alias hujus partes, praesertim ad eas

quae

† Diff. Inaug. p. 26.

quae intestina tegunt, primo proximas, postea ad totum abdomen. Omentum etiam cito afficitur, et a membranarum suarum tenuitate, et vasculorum numero, inflammatio illic brevi magna erit. Idcirco membranam uterum investientem partem esse primo affectam, et inde morbum per totum abdomen serpere crediderim. “ Neque mirandum,” addit *Johnstone*, “ uteri substantiam non magis affectam esse, quum verisimile est, membranas investientes, et non substantiam parenchymatosam, in omnibus inflammationibus acutis internis praecipue affici.”

Quid autem dicetur, si nec uterus nec membrana cum investiens afficiebantur? Rem ita se saepissime habere, pluri-  
mi auctorum testantur. Quid si dolor non circa regio-  
nem uteri, sed alibi abdominis, primo oriatur? Adhucne  
credere oportet, membranam uterum investientem pri-  
mam esse inflammationis sedem, et si dolor alibi incipiens,  
alibi maxime semper saeviat? Ni haec inflammatio sit om-  
nibus aliis absimilis, hoc nunquam admittere licet. Ute-  
rum interdum inflammari jam dixi; idem *de ventriculo*,  
idem *de hepate*, idem *de pulmone ipso*, dicere fas est. Igi-  
tur, me judice, uteri inflammationem non semper esse  
causam, colligere saltem licebit.

*Young* Professor noster cel. pro causa morbi ponit conta-  
gionem sui generis: Sed qualis ea fit, vix dicit. “ Aëra pu-  
tridum”

tridum" et "rem putridam" eam nominat. Causa tamen hujusmodi huic febri minime propria. Nonne typhus agnoscit eandem? Cur igitur contagio nuncupari debet sui generis?

Aëra nosocomii Edinensis, anno ante febrem exortam, pravum factum *Young* ipse notavit; puerperae enim tardius convaluerunt. Observatione quoque perdigntam est, Caesariam sectionem, ibi tunc temporis, editam, gravidas, a quibus ejulatio infelicitis audiebatur, maxime interruisse. Nil est cur miremur, eas similem sortem paventes, et puerperio mobiliores factas, in febrem incidisse. Igitur, quae paucis diebus post operationem factam peperit, ea febre corripiebatur, omnesque deinceps idem experiebantur. His singulis eadem signa aderant. Aér nosocomii corruptus, una cum insolito terrore, sufficeret febri ciendae, quae exorta singulas puerperas infestaret, propter insignem ad putredinem dispositionem, quae in puerarum corporibus plerumque adest \*. Praeterea, si contagio fuisse puerperis propria, unde nutrices afficiebantur? nam memoriae traditum, ut utraque febricitaret. Hac re, ut et signis morbi perpenitus, nil est cur ad propriam contagionem decurratur.

Morbus quibusdam Erysipelas visus, cuius forte rei haec erit ratio. Ubi Erysipelas eodem tempore quo

C

haec

\* Van Doevert de mulierum morbis, p. 37.

haec febris grassatur, puerperae forsan interdum eo quoque corripientur; febris enim, ut *Sydenhamus* sagax jamdudum notavit, “in castra epidemicorum saepissime transit.” In nosocomio Edinensi, anno 1774, erysipelas adeo increbuit, ut nemo, operationem chirurgicam passus, id effugeret. Si signa ejus itaque in puerperis, tunc temporis febre correptis, semet ostenderent, contagioni, me judice, originem debebant, nec licet inde colligere morbum semper naturam erysipelatis habere \*.

Nunc de alia opinione dicendum, quam, ut in *Hulmei* scriptis inveni, repraesentabo.

Statum mulierum dum uterum gerunt, signa mali ipsius, resque in cadaveribus vias respiciens, Auctor Illust. ponit proximam causam febris puerarum in inflammatione omenti ac intestinorum, ut ex his suis verbis constat: “The immediate cause of the puerperal fever, is an inflammation of the intestines and omentum. For the truth of this assertion I appeal to dissections. The chief predisposing cause, as I apprehend, is the pressure of the gravid uterus against the intestines and omentum †.”

Hanc

\* Vid. Clinical Exper. ab illust. Profes. nostro Home.

† Treatise on the puerperal fever, p. 147.

Hanc sententiam sic illustrat atque confirmat. Post graviditatem, uterus e pelle gradatim in abdomen exsurgens, mole crescente, viscera omnia premit. Sub graviditatis finem, omentum adeo premetur, ut forsan etiam revolvatur. Si prematur solummodo, non multum affici non potest; si revolvatur simul, periculum strangulati circuitus subibit. Variae partes, et ejus, et intestinorum, varie comprimentur. Partes admodum compressae sanguinem transmittere nequeunt, dum plus aequo in vasa laxiora propinqua fluit, unde utraque, haec distentione, illae pressura, tonum amittant. Hinc congestiones, vel sanguis in minutis vasis fere stagnans; hinc inflammatio vera, vell illuc magna proclivitas.

Praeter uterum sursus prementem, diaphragma singulis respirationibus descendens, cavum abdominis adhuc magis coarctat, et ita circuitus impediti periculum auget.

Post partum, utero contracto totum abdomen relaxatur, liberumque transitus sanguini, per vasa antea compressa, praebet. Haec, tono suo jam, magna ex parte, amissio, sanguinis auctam quantitatem circumvehere parum valent. Hinc, congestionibus factis, levissimae causae inflammationem et febrem puerarum excitabunt.

Sectiones sunt auxilio argumentis. Sexies abdominalia aegrarum inspexit, et semper gangraenam intestinorum,

vel omenti, vel amborum, invenit, et vestigia inflammatio-  
nis multifariam deprehendit. Haec est sententia, hoc est  
argumentorum ejus compendium: Quantum sit iis jure  
tribuendum, nunc considerandum.

Uterum prementem, viscera abdominis atque omen-  
tum multum afficere, aliis praeter *Hulme*\* veri videtur  
simile. Alvus dura, et fatus uterum gerentibus tam com-  
munes, huic magna ex parte adscribuntur. Eidem vasa  
prementi tribuuntur, cordis palpitatio, et faciei rubor,  
sub exercitationem violentiorem, gravidis familiares, quia  
scilicet sanguis, a partibus inferioribus prohibitus, superi-  
ores petit.

Mala tamen, ab utero gravido premente oriunda, mag-  
na ex parte, curavit provida natura, liquore amnii, struc-  
tura, et situ, intestinorum et omenti. *Hulmei* igitur sen-  
tentia, *Whitio* absurdia videtur, qui contra eam haec ob-  
jicit.

*imo*, “ Secundum hanc theoriam, morbus, ante potius  
quam post partum, semet ostendere debet; quod tamen  
non fit.”

Revera tamen hoc circuitum strangulatum solum  
spectat. Si enim inflammatio inde exorta non nimis pro-  
gressa

\* Ipse affert Caspar Bauchin, Ruyschium, Van Swieten, et Morgagni,  
ut sibi quodammodo consentientes.

gressa fuerit, cum causam strangulationis adimis, inflammatio adimetur. Uterus igitur premere desinens, morbum, si a circuitu in omento strangulato penderet, profigaret oportet; quod tamen adeo non fit, ut signa mali, post partum, solummodo semet ostendant.

*Hulme ipse* affirmat, inflammationem, ante vel inter partum inceptam, ob naturam omenti parum sentientis, aliaque, non percipi, donec res eo pervenerit, unde vix rediri possit. Alias autem causae praedisponentes non tantae sunt, quantae morbo originem ante puerperium, etiam secundum theoriam *Hulmei* ipsius, praebere possunt.

2do, “Ex theoria *Hulmei*, cur febris puerperas, in oppidis magis quam rure, in nosocomiis magis quam in tec-tis privatis, aggredetur, minime constat. Morbi inflammatorii apud rusticas magis quam oppidanas saepe graffantur; cur non hic quoque?”

3to, “Pressura uteri non tantum nocet, quantum ab *Hulme* credi videtur. Ex sua descriptione primum est colligere, musculos abdominis contrahentes foetum expellere; hoc tamen non verum, quoniam uteri ipsius contractions id praecipue praestant. Concedatur tamen, musculos abdominis tunc temporis multum agere; quid inde expectandum, *White* rogat? Nonne partibus quippe molibus minus nocetur? Nonne multae anastomoses, ubique

inventae,

inventae, congestionem, magna ex parte, impediunt? Nonne, caput inter processus ischii transiens, ibi saepe diu manet, et inferiorem uteri partem multo magis comprimit, quam unquam antehac intestina aut omentum compresserat? Uterus tamen inde raro inflammatus.

Denique, quod *Hulmeo* theoriam suam maxime firmare videtur, id, secundum *White*, eam funditus evertit. *Hulme* inquit, “ This theory shews why all lying-in women have been, and ever will be, subject to this disease; because the causes that produce it are common to pregnant women at all times, and in all climates.”

Res tamen minime cum hac repraesentatione convenit; morbus enim nequaquam generalis. Multis in locis vix cognitus, et, ubi semet ostendit, paucas tantum aggreditur. Cunctae tamen puerperae, causae, quae *Hulmeo* videtur praecipua, sunt obnoxiae, cujus si theoria vera sit, cur malum adeo fit infrequens, difficile est dictu.

A sectionibus cadaverum, nil temere colligendum. Haec, quamvis duces speciosae, eum, qui sedem et naturam morborum explorare velit, saepissime decipiunt. Ne alia memorem, causam ab effectu morbi per eas dignoscere, nunquam non difficile. Sectiones ab *Hulme* allatae, si nil simile alibi inventum esset, sententiae ejus adminiculo forent; sed quae ab eo descripta fere eadem post febres et intermit-

## DE FEBRE PUEPERARUM.

tes et remittentes saepissime conspecta. *Cleghorn*, imprimis accuratus et sagax, innumera cadavera, post febres ejusmodi et dysenterias inspexit, et, in omnibus, viscera abdominis affecta invenit. Affectus varii fuere ab inflammatione incipiente ad justam gangraenam; adhaesiones ubique frequentes; omentum duorum ex toto absumptum, nil nisi reliquias nigras, ostendit; pus in cavo abdomine repertum; et praeterea, omentum, mesenteria, colon, vesica fellea, jecur, aliaeque insuper partes, saepissime affiebantur\*. — *Hulmeone* placet, inflammationem viscerum abdominis esse causam proximam quoque horum morborum?

Sententia adversarii, his aliisque argumentis eversa, *White* affirmat, febrem esse vere typhum, doloremque abdominis symptomaticum solummodo; multimodisque opinionem suam stabilire conatur; victus ac vestitus pravus gravidarum; vita ignava; alvusque plerumque adstricta; calida cubicula, multaque alia ad debilitatem, ac putredinem, inde, ad typhum recta ducentia, ab eo caute numerantur. In imperitia obstetricum, quae parturientibus opem pessime ferunt; in cubiculis calefactis, immundis, atque occlusis; in potu calido ac stimulante; in corrupto aëre nofocomiorum; in terrore atque tristitia, abunde causarum excitantium

\* Diseases of Minorca, p. 180—246. et alibi. Pringle, Lind, et aliquot medici Gallici, *cadem* testantur.

excitantium invenit. Signa morbi ab eo enumerata typho omnino convenient, eademque remedia utrius accommodantur \*.

Haec est controversia apud hodiernos medicos celeberrimos, quam, quicunque mentem humanam, et incertam medicinae conditionem, considerabit, dirimere potius optabit quam sperabit. Opinionem nullius, me judice, ex toto admittere, nec rejicere, decet. Hic liceat referre observationem a *Millar* factam : “ The changes which the humours naturally undergo in women during their pregnancy, render them more liable to the contagion of putrid diseases, while the circumstances attending childbed produce inflammatory symptoms ; and hence often arises a complicated fever, the most dangerous and difficult of cure, of any which falls under the direction of the physician †.” Quid igitur statuendum est de febris, deque doloris abdominis, natura ? Febres non nunc sunt plene considerandae; continuarum divisionem tantum memorabo. *Cullenus*, Nosophorum optimus, eas in tria genera divisit, nempe, *synocham*, *typhum*, et *synochum*. Prior, inflammatoria vulgo nominata, frigori tributa, frigidis regionibus praecipue gravatur, et, nunquam contagiosa, robustos ac sanguineos maxime invadit. Typhus, quem

putridam

\* White *passim*.

† *Diseases of Great Britain*, p. 330.

putridam et nervosam febrem auctores plerumque nuncupant, a malis effluviis, ut creditur, exoriens, ipseque per contagionem propagatus debiles et infirmos maxime infestat. *Synochus*, initio illi similis, citius serius hunc semper refert, ita ut limites inter synochum et typhum statuere, perquam difficile fit.

Cuinam generi igitur convenit nostra febris? Gravidas ac parturientes esse typhi causis, et praedisponentibus et excitantibus obnoxias, jam iterum iterumque dictum. Nil est cur miremur, igitur, si mulier, cuius solida laxa, fluida putredini opportuna, doloribus puerperii exhausta, sanguinis profusione magis debilitata, curis et angoribus confecta, in typhum incidat. Quin res ita fese plerumque habeat, modo fides a *White* narratis adhibetur, non negabitur.

Affirmare tamen, febrem puerarum nunquam *synochae* speciem pre se ferre, in animo non est. Multa enim exempla, ab auctoribus optimae fidei memorantur, quibus signa *typhi* fere omnino defuere. Quid igitur ex toto collendum? hoc utique; natura febris est, variis in exemplis, varia, pro scilicet aegrae natura, proque causis propinquitatem vel morbum inferentibus, quarum actioni fuerat objecta. Et quidni? Hanc *viraginem*, vino vel aromaticis stimulatam, doloribus brevibus parum confectam, frigori acri subito objectam, in *synocham*; illam *mulierculam*

delicatam ac debilem, diuturnis doloribus defatigatam, sudore perfusam, stragulis, ignibus, et immundicie simul oppressam, forsan etiam lugentem vel metuentem, in *typhum* facillime illapsuram, credere minime absurdum.

De dolore abdominalis, quaedam dicere adhuc restat; et hic disputatio multiplex denuo oritur, de causa et sede ejus primaria, deque tempore accedendi.

Quidam \*, eum non esse simplici inflammationi ascribendum, affirmant; aegrae, uti fertur, maxime queruntur abdomen tensum, dolens, tenerum, sed non vexantur ictibus cruciatibus, qui alias inflammationes viscerum comitantur; malum igitur putridi esse generis, ab effluviis humanis, a bile acri putrescentem, accumulata, et a putrida colluvie per totum intestinorum tractum oriundum, abunde constat. Alii † autem testantur, dolorem esse ab initio usque acerbissimum, et vehementiae ejus aliarum inflammationum commis nihilo imparem; morbum idcirco inter phlegmasias collocare, Keary ingeniosus non dubitat; et his verbis, "Diarrhoea aliquando," definitioni Cullenianae additis, eum ad enteritidem adamussim respondere putat ‡.

Quae

\* White, et Cel. Hamilton, praelect. Acad.

† Hulme, Leak, Manning, plurimique alii.

‡ Dis. inaug. de feb. puerper. p. 30. unde hic et alibi quaedam deprompsierim.

*Quae Hulme* de statu intestinorum, quodammodo *bene* dixit, ea, hic sunt ad mentem revocanda. Uterum pre-  
mentem tonum intestinorum minuere fere ab omnibus concessum. Pressura sublata, vasa relaxabuntur, quo plus sanguinis fluens ea distendet, utpote quae debilia sint, et sanguinem propellere parum apta. Inde periculum con-  
gestionis et inflammationis, eo, ut *Kirklandio* videtur, ma-  
jus, quo dolores partus fuerint celeriores \*, orietur; adde quod partes omnes ibi, quasi contusae, facilissime laedun-  
tur. Utrum inflammatio primo intestina corripit, inde in peritonaeum ac omentum serptura, an vice versa, adhuc parum constat. Qui rem rite perpendet, nunc hoc nunc illud evenire, ei forsan persuadebitur.

Quantum ad tempus quo dolor accedit, attinet; alii eum, febrem sequi, alii praecedere, obnoxie contendunt. Signa febrilia, ante dolorem abdominis, femet ostendentia, quod saepius fit, illam, dolores ante ullum febris signum alias occurrentes, hanc sententiam probare videntur; neutram igitur falsam vocare audeo. Febris, undecun-  
que orta, utpote quae circuitum sanguinis accelerat, calo-  
remque corporis adauget, sanguinem maxima vi in laxa  
vasa intestinorum adiget, unde, ut saepius antea dictum,  
inflammationis sit periculum; contra, dolor, undecunque

ortus,

\* Treatise on the child-bed fever, p. 68.

ortus, et ubicunque saevit, corpus stimulando ac irritando febrem vel excitabit vel excitatam augebit. Ita febris ac inflammatio semet invicem afficiunt, et initio, et per totum morbi decursum.

Denique, ut quae jam fusius dixerim, in unum colligam, dolorem abdominis ab inflammatione cuiusvis partis plerumque ortum, pro signo idiopathicō habeo; febremque, eum comitantem, nunc *synochae*, saepius autem *typhi*, speciem prae se ferre, mihi videtur verissimum.

### RATIO SYMPTOMATUM

Brevissima erit; nam multis, post jam dicta, non erit opus.

De dolore et pyrexia, utpote quae omnibus inflammationibus, et de capitis affectibus, et siti, quippe quae plerisque febrium communia sint, omnino taceo.

*Abdomen interdum tumet.* Hoc ex aëre intra intestina ipsa interdum oriri, sectiones cadaverum fatis demonstrant; et certe, aër e variis rebus ibi emissus, ea tunc praeter solitum laxa, magnopere distendit. Saepissime tamen aër non in iis sed in cavo abdominis continetur, ut ex tumore inter alvum fluentem manente, et ex sectionibus pluribus, scire liceat. Quomodo aër ab externa atmosphae-

ra illuc per tubos Fallopianos, utero subito contracto, transire possit \*, comprehendere nequeo. Res igitur est longe aliter explicanda.

Finem graviditatis versus, fluida in omento et intestinis stagnantia majorem exhalationem in abdomen efficient, et lymphä forsan solito viscidior ibi fecernetur et effundetur †. Haec lymphä stagnatione et calore in fermentationem et putrefactionem demum abibit, et inter fermentandum, aëra, uti ab experimentis Cl. Pringlei et Gaberi constat, emittet. Idem eveniet, si qua pars suppurationem subierit.

*Vomitus materiae subviridis* huic febri minime proprius. Initium febrium nausea ac vomitus saepissime comitantur, forte ob atoniam ventriculi, quem inter ac superficiem corporis mirus extat consensus. Vomitio autem diurna secretionem bilis semper augebit, ductus emulgendo; et bene notum est, bilem inter vomendum per pylorum facile ascendere. Adde, quod duodenum forsan plus aequo antehac tenuerat. Omnium fluidorum nostrorum, bilis maxime putrescere videtur; huc enim, prae alia ulla secrezione, quicquid putridi in systemate sit tendit. Itaque inventum, cholaram morbum aliquosque a bile penden-

tes,

\* Foster's Midwifery, p. 296.

† Clin. Exper. p. 84.

tes, inter aestivum tempus, quo maxima ad putredinem proclivitas subest, praecipue grassari; adeo ut ex sententia *Sydenhami* cholera sit, magna ex parte, pro gradu caloris frequens. In pessimis febribus etiam, una cum signis putridis, plus bilis plerumque fecernitur.

Bilis quantitas aucta, ad diarrhoeam inducendam, aliquid conferet.

*Respiratio afficitur*, plerumque saltem non ob vitium pulmonum, sed ob dolorem abdominis. Singulis respirationibus, diaphragma descendit, et abdomen coarctans, viscera premit, et dolorem, si quis adest, intendit. Hinc, natura monente, aegra parce spiritum dicit, celeriterque reddit. Pulmo, nec ob dolorem a diaphragmate descendente oriundum, plene dilatatus, nec rite, ob dolorem a musculis abdominis prementibus provenientem, compresus, congestioni ac inflammationi fit obnoxius. Ita, peripneumoniae symptomata inter morbum nonnunquam vifa.

*Vires subito labare vix mirabitur*, cui morbus apte intetescit. Ulla pars intestinorum inflammata vires subito prosternit, quod multo facilius mulieribus, saepe antehac debilitatis, eveniet. Adde, quod res putridae plurimae corpori infunt. Foeda colluvies tractum intestinorum implet; lochia, in utero, rugisve vaginae, stagnantia, aëre tacta,

tacta, cito putrescunt ; hinc multiplex putrida absorptio. Quam mire autem putrida, utcunque corpori adhibita, sedent ac debilitent, fere nemo ignorat.

*Dolor subito cessat*, ubi pars affecta nempe in gangraenam abit. Hic autem inflammationis exitus, ob pravam fluidorum naturam, obque partes admodum laxas et debiles, in hoc morbo minime rarus.

### D I A G N O S I S.

Si ad jam dicta attendatur, febris puerperarum plerumque facile internosci poterit. Dolores, a colicis, pyrexia ; febrem autem, ab aliis, affectus abdominis satis fecernit.

*Post partum*, dolores acerbi aegram interdum invadunt, qui tamen spasmodici, ut videtur, febris, magna ex parte, expertes, subinde tantum infestant, sicque clare distinguuntur a dolore, de quo agitur.

*A lacte* febris nonnunquam oritur, quam, omne signum mitius, dolor abdominis nullus, mammae distentae ac dolentes, glandulae axillares tumidae, ab hac febre satis distinguunt.

*Febrem miliarem*, fudoris et caloris sobolem, mira anxietas animique depresso semper praecedunt, quibus eruptio levamen pleurumque affert. Eruptio, febris modica, cutisque pruriens, eam a febre nostra satis distinguunt.

## P R O G N O S I S.

Hanc semper cautam, quodque magis lugendum, saepe infaustam, formare decebit. Pauci sunt morbi, qui ex iis quas invadunt, aut plures, aut citius, aegras opprimunt.

Quo longius initium morbi a partu distat, laetus exitus magis est sperandus. Alvus leniter fluens, cum doloris levamine, pulsus mollis, tardior, plenior, dejectionesque naturalibus similes, hanc spem firmant. Eodem pertinent, sedimentum furfureum (uti dicitur) in urina, lochia denuo fluentia, et lac semet ostendens. Si, dolore decedente, totum corpus lenis sudor humectet, si vires redeant, si vomitus definat, optimi est ominis. Haec tamen ipsa, si aegra antea admodum fuerit debilis, pro indiciis salutis sunt caute habenda.

Periculum ingens multa monstrant, inter quae, pulsus parvus ac celer, respiratio aegra et anhela, dolor abdominis crescens, animus magis magisque anxius, depresso, caput dolens, viresque prostratae. Alvus, per totum morbum, dura, pessimi est ominis, nec melioris, dejectiones nigrae ac foetidae, quae si, muliere nesciente, elabuntur, fatum instare praemonent.

Dolor subito cessans, ut antea observatum, ignaros interdum fallit; hoc autem inter pessima signa semper est

numerandum,

numerandum, utpote quod sphacelum indicat, saepissime gelidis sudoribus, partibus extremis frigidis, vultu cada verofo, labiis lividis, aliisque signis summae debilitatis, et lethi imminentis, comitantibus; et brevi post, infelix vitam cum morte commutat.

## M E D E N D I R A T I O.

De remediis maxime efficacibus inter auctores valde discrepat; sed omnia saepissime frustra adhiberi, plurimi fatentur. Professori nostro cel. *Young* videtur, spem praeципuam, hic, ut et in peste, in fuga esse collocandam; per pauca igitur de *prophylaxi* praemittere libet. Gravidae raro medicum consulunt; sed de multis interdum eas monere licet, quae contra vim morbi haud mediocriter munient. Vita segnis ac iners, quippe plethoram efficiens, tonumque solidorum laxans, prohibenda. Calor nimius quoque evitandus, scilicet qui non modo debilitat et relaxat, sed fluida majori putredinis periculo quotidie objicit, praesertim ubi plus aequo cibi animalis et comissiones in usu sunt.

Quaecunque mala expectari possunt, ab utero, viscera abdominis premente, ea, iste vestitus deridiculus, quo, gravidae, formam saluti stolide anteponentes, nimis saepe utuntur, multum augeat necesse est.

Exercitatio modica et constans optimos edet effectus. Circuitum aequum promovendo, perspirationem augendo, omnes secretiones adjuvando, multa nociva corpori auferet, multumque roboris ei adjicit. Vix opus est referre regulam *Celsi*, qui optime praecipit, citra lassitudinem semper esse subsistendum.

Mulieribus hystericis, tonica, ut cortex, chalybeata, et aquae medicinales, forsan interdum convenient; talia tamen, ut et opium, omniaque medicamenta, gravidis sunt parce, et non nisi necessitate urgente, praecipienda. Libero aëri, exercitationi et vieti apto, praecipue fidendum. Si alvus dura cibo non cedat, ad enemata mollia et parum stimulantia decurrere oportebit.

Magis tamen interest, mala, quibus parturientes obnoxiae sunt, cavere. Plerique hodierni uno ore incusant absurdam administrationem olim vulgatam, omnesque partes regiminis calidi, seu cubilia, sive ignes, turbam astantium, potus calidos, sive aëris liberi inopiam, spectantes, condemnant. Varia, ad obstetricis officium, pertinentia, hic referre, nec opus, nec usus; ubique naturam est sequendum, eique est indulgendum.

Post partum, mater non est temere frigori objicienda; id enim periculosissimum; sed dum hoc vitium vitatur, ne in contrarium, calore vel onere stragulorum nimio, curatur cayendum.

Somnus omnimodis alliciendus. Itaque infans, ubi res finit, in diverso cubiculo cubet; et cum somnus obrepit, nunquam rumpatur inepta cardiacorum administratione. Huic ipsi, cuius adventum stolidae adstantes haud raro prohibent, nil par, nec ars, nec natura potentior, praebere potest. Vires confectas reficit; irritabilitatem nunc temporis adeo insignem minuit; et circuitui doloribus accelerato moderatur. Quae aniles garrientes fabellas, ad lectos parturientium semper sunt praesto, eae sunt procul abigendae. Quaecunque animum agitant, vel deprimunt; quaecunque solicitudinem tunc temporis sua sponte nimiam intendunt; quaecunque demum mentem subito afficere possunt, seu laeta seu tristia, haec omnia, summa cum cura, sunt effugienda.

Olim mos erat, mulierem in lecto decem dies continuos, post partum, continere, cui parum observato, ut frequissimae causae, *Sydenhamus* tribuit febrem puerperarum. Diu, motus adeo metuebantur, ut puerperae ne quidem sedere in lecto liceret, nec panni lochiis foedi mutarentur, unde plurima incommoda. Lochia cito putrescentia terrime olebant, positus recubans decensui faecum et lochiorum fluxui minime favebat, ita ut haec in utero, vel vaginae rugis, stagnantia, et putrescentia, multum periculi, ut antea memoratum, inferrent. Etsi fatigatio omnigena est evitanda, mulier in lecto identidem sedere licet,

lectumque brevi relinquere, donec indusia mutentur. Nulla immundities intra cubiculi parietes maneat; aëri sit liber aditus, dummodo lectum ipsum non perflet; ignis tempore aestivo absit, hyberno, sit modicus; et tempestate calidiore, cubiculum septentrionem spectans, ubi fieri potest, eligatur. Ab iis quae calefaciunt vel stimulant, etiamque a cibo animali, parumper abstineatur. Alvo adstrictae, enematibus lenissimis ubi perinaeum permittit, obviam eatur. Mammae, ab infante, ubi res postulat, exsuctae, dolorem et irritationem a lacte stagnante alioquin orituram, optime cavebunt.

Administratio hujusmodi plerumque, ni fallor, febri arcendae sufficiet; quae tamen remedia ei exortae accommodantur, nunc est dicendum. Hic tempus morandi nullum. Ni principiis obstetur, fero medicina paratur; morbus enim praecepit cursu, omnia in ruinam trahit, Consilia medendi sunt plane,

1<sup>mo</sup>, Dolorem ac febrem tollere.

2<sup>do</sup>, Symptomatibus quibusdam ire obviam.

*Sanguinis detractionem*, priori responsuram esse, analogiae auscultantes, facile expectabimus. De effectibus ejus, jamjam saepissime periculo facto, adhuc ambigitur. Qui dolorem inflammationi tribuunt, eam pro remedio praestantissimo celebrant, laudesque non esse immeritas, multis documentis allatis, probant; putredini faventes, contra,

tra, eam non modo pro inutili, sed nociva, quippe debilitatem sponte sua nimis festinantem, citius inferente, respunt, nec exempla plurima defunt, quibus haec sententia innititur. Nunc, ut semper alias, medium carpere iter fert animus. Nisi *initio* morbi adhibetur, eam non modo non prodefesse, sed multum etiam obesse, inter omnes, quantum mihi notum, constat. Initio autem, si aegra sit robusta et firma, si pulsus sit durus, si cutis fervida, si simul dolor abdominis pungens, sanguinis detractionem utilem fore expectandum; contra, aegra debili pulsu, celeri, ac parvo, nemo prudens eam experietur, ob dolorem ullum utcunque acerbum.

Dolore sanguinis detractione raro cedente, ad multa alia remedia fuit decursum, et praecipue ad *cathartica*. Alvis sponte fluens, dolorem pro tempore minuens, ea indicare videtur. Faeces accumulatae magnopere nocent, quae igitur sunt dejicienda. Sal cathart. amar. crystal. tartari, senna, rhabarbarum, ol. ricini, aliaque, fure usitata; sed nil praestat antimonialibus. Haec, modice sumpta, alvum optime solvunt, etiamque spasmum superficie tollunt. Itaque tartarum emeticum, fere ab omnibus auctoribus, justis et magnis laudibus cumulatur. Enemata emollientia non modo operationem ejus adjuvant, sed intestina, partesque vicinas dolentes, grate fovent, ideoque saepe sunt praestantissima.

*Emetica* nec semper effugienda, nec semper suadenda ; ubi dolores sunt ab initio acerbissimi, vomitio fit intolleranda, ubi, contra, nausea molesta adest, cum frequentibus ad vomendum nisi bus, vomitum ciere licebit.

*Epispaſtīca*, in aliis viscerum affectibus utilissima, hic quoque fuere laudata. Quin in inflammatione ipſa intestinorum ſaepe profuerint, minime recuso ; purgantia enim, antea incassum tentata, poſt ea adhibita, morbum ſolverunt ; hic tamen vix suadenda ſunt. Corpus nimis irritant, praefertim uterum, adhuc irritabilem, et proclivitatem ad putredinem augent. Exempla memorauntur, ubi lethum, ea adhibita, fit ſecutum.

*Fomenta*, quippe ſpasium folventia, et dolorem ſopientia, quidem commendant ; haec tamen votis ſaepe parum respondent. E contrario, alii obſervant, puerperas fomentis utentes frigori eſſe maxime obnoxias, quod quam nocivum fit, nemo eſt qui ignorat. Balneo tepido, ob motus impatientiam, uti nequeunt.

*Cataplaſmata*, abdomini applicata, interdum convenient. *Camphora* olim pro remedio, hac in febre efficacissimo, a Pouteau celebrata, et ab ipſo et ab aliis dehinc tentata, ſpem feſellit. Professor noſter Young eam ſaepe praecepit, et ſemper fruſtra.

*Julapium ſalinum*, et potus leniter acidus, ut plurimum

grata

grata sunt ventriculo, nec non fructus horaei, aliaque ejusmodi, dummodo alvum non ultra modum moveant.

Postquam febris progressa vires conficit, *ad vinum* aliaque ejusmodi, viribus sustentandis vel reficiendis apta, decurratur. Quantitas est semper ad aegrae naturam accommodanda.

*Cortex Peruvianus*, febre jam mitiore facta, auxilium non leve polliceri videtur. Nil aequa ac hic corpus sine stimulo roborat, nil contra putredinem potentius firmat. Si ventriculus eum recuset, an operaे erit pretium formaenatum eundem praecipere?

Pro calidis potibus, sudoremque moventibus, omnia frigidula suadeo. Sudores adeo non sunt ciendi, ut evitandi sint, utpote qui agram debiliorem et ad putredinem procliviorum reddant, et febrem raro vel nunquam solvant. Solutio enim febris minime est tribuenda isti diaphoresi, quae, tunc temporis quidem saepissime adest, sed quae, pro effectu, non causa febris solutae, est jure habenda. De liberi aëris, de munditiae, necessitate, aliisque ejusmodi, jam satis in prophylaxi locutus, nil est curiterum de iisdem verba faciam.

*Opium*, et si inflammationibus vulgo nocivum creditur, hic saepe, optimo cum fructu, fuit adhibitum. Dolorem quodammodo lenit, et praeterea, agram sopiendo, vires lapsas, spiritusque oppressos, aliqua ex parte, reficit.

Quantum ad secundum consilium: Multa sunt signa, quibus occurtere decet; pauca tantum memorabo, eaque brevissime.

*Vomitus* faepe, post ventriculum rite repurgatum, adhuc urget, cui haustrus effervescentes *Riverii* quam optime occurunt. Utrum agunt corrigendo res putridas in ventriculo inventas (aër enim fixus, quem multum evolvunt, antisepticus est) an nervos ventriculi stimulando, an hos roborando, statuere non meum est; hoc constat, eos esse eo efficaciores, quo plus aëris in ventriculo emittunt. Inter effervescendum, igitur, sumantur, vel, ubi stomachus finit, alcali et acidum seorsim hauriantur, ita ut nil aëris emissi amittatur.

*Diarrhoea* est tractatu difficilis; nimis diuturna, vires aegrae exhaustit; subito cohibita, dolorem abdominis adauget, ni simul intestina ipsa fana efficiantur. Igitur clysmatibus ex amylo, aëre fixo, vel aqua tepida, præastrigentibus omnibus plerumque adhibitis, ad diarrhoeam fistendam uti oportebit.

Uti respiratio impedita ab affectu abdominis pendet, hunc auferendo, illi obviam est eundum. Si tamen dolor lateris vel capitis urget, cucurbitulae siccae vel cruentae, partibus dolentibus adhibitae, forsan proderunt. Tussi infestanti, ea demulcentia quae, fauces illinendo, titillatio nem tollunt, interdum occurrent.